mana malitia cooperetur, Deo sic regularitèr disponen-
te propièr nimiam dæmonis malitiam, quæ tanta est, ut
nihil mali, quod posset inferre, prætermitteret, si inde-
pendentèr a quovis nocere permitteretur. Non sic au-
tèm restricta est humana nocendi potestas, quia homo
homini resistere potest, ità ut, dùm dæmoni cooperatur,
plura ipsi dæmoni Deus permittat, quàm soli. Undè nos-
ter Franciscus a Victoria Relect. *De arte Magica*, sub
finem ait: *Mirum est & Mysterium, quòd, cum dæmones
per se nocere non permittantur, tamen non adeò impe-
diuntur nocere per homines, ut Magos, Lamias, & alias
Maleficas*: quod etiàm Doctores advertunt. Quare falsum
est, dæmonem ordinariè posse nocere sine signis magicis,
sicùt potest cum illis; & hinc fit, quòd non frustrà tol-
lantur, nam illi fortè non est permissum sublato signo
nocere. N[illegible] indè sequitur, hoc signum fore signum Dei,
seu Deum habere pactum cum dæmone: sicùt, si Rex non
impediat hostem in iis, quæ facit cooperantibus subdi-
tis, non ideò ista cooperatio potest dici signum Regis,
aut ipsum habere pactum cum suo hoste. R. 2. dato
Ant. N. Conseq. Tametsi ergo demus, sublato signo, ma-
nere diabolo potestatem nocendi, quia tamèn constat,
quòd sempèr, aut ferè sempèr cesset a nocendo per abla-
tionem signi, illud tollendo sequitur tantùm, quòd ex-
pectem cessationem nocumenti a voluntate dæmonis tan-
quàm quid negativum, hoc est, sequitur præcisè, quod
intendam sistere malam dæmonis voluntatem & actio-
nem ejus noxiam, quod est licitum, ut dixi; non au-
tèm quod expectem ab eo aliquid loco beneficii, neque
ex pacto inito cum Mago; quòd pactum e contrà destrue-
re intendo, & invocationem dæmonis in eo implicitam.
Fiat paritas in eo, qui impedit licitè, ne ponatur signum
maleficii; itèm in eo, qui destruit signum, ad cujus po-
sitionem hostis pactus erat ipsi nocere. Neuter sanè ex-
pectat beneficium ab hoste, aut ex pacto inito agit;
quamvis dæmoni (ut gratis suppono) non posito signo
maneat potestas nocendi, & hosti, destructo signo, non
desint aliæ nocendi viæ: sed uterque præcisè impedit, ne
hostis noceat.

Obj. 3. cum eodem: Quandò gestantur verba sacra,
*Si habeatur spes in aliqua vanitate, quæ ad divinam re-
verentiam non pertinet, hoc judicatur superstitiosum*, in-
quit S. Th. hic art. 4. ergo similitèr superstitiosum est
habere spem recuperandæ valetudinis ex amotione signi,
quæ est res omnino vana, & impertinens ad hunc effec-
tum. R. N. Suppositum Consequentis. Non enim, qui
tollit signum, sperat saltèm immediatè recuperare vale-
tudinem ex tali amotione, sed impedire actionem noci-
vam dæmonis, ad quod non est impertinens; impedita
autèm actione nociva dæmonis, sperat recuperare valetu-
dinem ex causis naturalibus. Alia loca D. Th. congerit
laudatus Sylvius, quæ non magis probant ejus intentum,
aut quæ facilè ex dictis solvuntur.

Obj. 4. cum eodem. Non licet maleficos inducere, ut
maleficia inveniant: ergo neque licèt inventa tollere.
Antecedens ità legitur C. *Non liceat* caus. 26. q. 5. his ver-
bis: *Si quis, Paganorum consuetudinem sequens, divinos &
sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum fo-
ràs mittant, aut maleficia inveniant, vel lustrationes Paga-
norum faciant, quinque annis pœnitentiam agat.* R. D. Ant.
non licet maleficos inducere, ut maleficia inveniant arte
sua magica, C. mediis naturalibus, N. nec aliud erui po-
test ex auctoritate allegata, ut patet ex contextu.

Obj. 5. S. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert, quòd,
cum quædam puella, per incantationes a dæmonibus ob-
sessa, adducta esset ad S. Hilarionem: *Noluerit vir sanctus,
antequàm virginem purgaret, signa jubere perquiri, ne, aut
solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse
sermoni ejus accommodasse fidem*: ergo perquirere & tol-
lere signa, ut nocumentum cesset, ad incantationem per-
tinet. R. N. Conseq. Non enim dicit S. Hieronymus,
ne solitis incantationibus recedere, sed *ne recessisse vide-
retur*, scilicet valgo spectanti, cui id meritò visum fuis-
set, si vir tantus & tam præcellenti miraculorum dono
præditus ad hoc auxilium confugisset.

Obj. 6. Si maleficus, aut quivis alius signi conscius, pos-
sit licitè tollere signum maleficii, sequitur ad id etiàm
teneri, si aliud remedium non suppetat: quod tamèn non
docent Auctores. R. C. Sequelam, nec video, quomodò
posset negari secundùm principia stabilita. Nec refert,
quod id communitèr non doceant Auctores; satis est
enim, quòd sequatur evidentèr ex eorum doctrina. Aliùn-
dè verum non est, Auctores saltèm quosdam id non do-
cere. Ipse Scotus in 4. dist. 34. citatus a Lessio dicit:
*Ridiculum esse quærere, àn liceat tollere maleficum inten-
tione curandi maleficiatum; non enim solùm licet, sed etiàm
meritorium est destruere opera diaboli.*

Petes 1. Utrùm sit licitum, non solùm tollere signum ma-
leficii, sed etiàm aliud signum apponere, quo prius vim
suam amittat, aut pactum prius evertatur, & diabolus no-
cere desinat? R. ex principiis positis responsionem affir-
mativam videri valdè probabilem. 1. Quia id non est sig-
num novi pacti, sed eversio & impedimentum antiqui.
2. Non videtur magis illicitum apponere signum, ut de-
sinat pactum & nocumentum, quàm tollere positum ad
eumdem finem. 3. Non expectatur hic ullus effectus positi-
vus, sed tantùm cessatio actionis noxiæ dæmonis, quod
expectari potest, modò non ex amicitia. 4. Licet petere ver-
bis a diabolo, ut cesset nocere, modò id non petatur de-
precando, aut ex amicitia aliqua, sed indignando, v. gr.
cessa, immunde spiritus: ergo id etiàm licet petere signis.
Hinc inferunt Patroni hujus sententiæ, quòd, si saga te
percutiente, inficiaris, & si tu eam repercutiens, non in-
ficiaris, possis eam repercutere, ut impedias novam; si-
ve quia diabolus statuit tùnc non nocere, sive quia sig-
num veneficæ non est tale, quale ipse dæmon requirit.

Petes 2. Utrùm sit licitum petere dissolutionem male-
ficii a malefico, qui potest illud tollere licitè & illicitè.
R. 1. Quandò probabilius puto illum dissolutionem male-
ficium licitè, possitum petere; quia petitio est ex se indiffe-
rens, & cessat morale periculum ex parte tollentis. R.
2. Si dubitem, àn maleficus sit dissoluturus maleficium
licitè, est etiam licitum juxtà Suarem, Torre, Delrio,
quos citat & sequitur noster Loth, petere dissolutionem,
quia in dubio debet præsumi bonus, & sic est præsump-
tio, quod dissolvet licitè. Intellige tamèn, quandò est du-
bium de futura voluntate: quia si dubitatem, àn possit,
aut sciat licitè dissolvere, non liceret petere, quia id,
de quo dubium est, àn possit sine peccato fieri, sicùt
absolutè non est faciendum, ità nec absolutè ab alio pe-
tendum. Ità prælaudati Auctores. R. 3. Si certum, aut
etiàm probabilius sit, maleficum arte sua magica usu-
rum ad dissolvendum maleficium, non licet ab eo pe-
tere dissolutionem maleficii: ità Cajet. Delrio, Binsfel
apùd Loth. itèm Sylvester & alii contrà Suarem, Les-
sium, & alios, qui hoc nituntur fundamento; quòd li-
ceat, justa causa premente, mutuum petere ab usurario,
juramentum ab infideli, Sacramentum a malo ministro;
quia, cum possunt licitè præstare, quod petitur, si malè
præstent, id suæ militiæ imputare debent: ità, inquiunt,
similitèr in præsenti casu.

Sed contrà accipe disparitatem, & rationem responsio-
nis nostræ: non prohibetur nobis omne commercium,
omnis societas cum homine peccatore, neque justa ur-
gente causa petere, aut recipere ab eo beneficium, quod
potest licitè præstare, & ideò non est illicitum in neces-
sitate petere mutuum ab usuratio, juramentum ab infi-
deli, sacramentum a malo ministro. At prohibetur no-
bis cum dæmone omne commercium, omnis societas,
itèm & petere, aut recipere, vel etiàm permittere, ut
per eum conferatur nobis aliquod beneficium: censetur
enim reus Divinæ Majestatis, qui ab ejus hoste ad de-
fectionem sollicitante sibi beneficium conferri permittit,
aut cum eo societatem init; atqui petit dissolutionem
maleficii ab eo, quem scit, aut probabilius credit ope dæ-
monis usurum ad dissolutionem maleficii, habet societa-
tem cum dæmone, siquidèm habeat societatem cum ma-
lefico, ut maleficus est, implicitè petit a dæmone in per-
sona malefici opem & beneficium, aut saltèm permit-
tit sibi a dæmone beneficium conferri: ergo. Confirma-
tur. Nemo potest uti operario, quem sciret opus suum
magicè expleturum, etiàmsi id posset facere labore na-
turali, v. gr. si esset auriga, qui te hinc Pariseos curru
& equis transferre posset, non liceret tibi cum eo pacis-
ci, ut te hinc eò trasferat, si scires, quòd non per
suos equos, aut currum, sed per suum dæmonem trans-
ferret: id puto certum, nec a quoquam posse negari: er-
go similitèr.

Dices: si quis didicisset a dæmone aliquod medicamen-
tum naturale & legitimum, aut aliam bonam scientiam,
posset iis uti, & ego possem ab eo petere applicationem
hujus medicamenti: ergo similitèr &c. R. N. Conseq. Dis-
paritas est, quod in primo casu, licèt is peccaverit acci-
piendo tale beneficium a dæmone, non tamèn ampliùs pec-
cat, nec dæmonis opem adhibet in ejus usu; quia indepen-
dentèr a dæmone eo nùnc utitur ut suo proprio, non ut
beneficio dæmonis, sicque mihi licet id ab eo petere; se-
cùs autèm in nostro casu.

DI-

DIGRESIO HISTORICA.

De Samuelis apparitione facta Sauli, Pythonissam consulenti.

Ad §. I. Art. II. Præcedentis Dissert.

HUjus rei Historia refertur 1. Reg. 28. Require ibi.
Quæstio est, utrùm verus Samuel, àn dæmon sub
specie Samuelis apparuerit. Dico: Probabilius est, verum
Samuelem, saltèm quoad animam, & non dæmonem sub
Samuelis specie, apparuisse Sauli mulierem Pytonissam
consulenti: Dixi *saltèm quoad animam*; potuit enim
Deus corpus, proùt libuerit, efformare. Prob. 1. Scrip-
tura 1. Reg. 28. ubi res gesta narratur, perpetuò vo-
cat Samuelem eum, qui apparuit Sauli: *Cùm vidisset
mulier Samuelem... intellexit Saul, quòd eset Samuel...
Dixit Samuel ad Saul: quarè inquietasti me, ut suscitarer..
& ait Samuel.* Scio, contrariæ sententiæ patrones respon-
dere multa in Scripturis dici juxtà opinionem vulgi, non
secundùm rei veritatem: sic S. Joseph dicitur Pater Do-
mini: *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*,
inquit B. Virgo, non quòd S. Joseph esset verè Pater
Domini, sed quia talis credebatur: sic inquiunt, in nostro
casu phantasma apparens dicitur Samuel, non quòd esset
verus Samuel, sed quòd sub specie Samuelis apparebat, &
Samuel a Saule & Pythonissa credebatur. Sed contrà,
verba Scripturæ in proprio & naturali sensu sunt acci-
pienda, si indè nihil sequitur absurdi; atqui, quòd ve-
rus Samuel aparuerit, nihil sequitur absurdi, præsertim si
dicamus non arte magica Pytonissæ, sed præveniente Dei
imperio fuisse suscitatum, ut dicemus infrà: ergo.

Prob. 2. invictissimè ex c. 48. Ecclesiastici, ubi intèr
laudes veri Samuelis ponitur, quòd mortuus prophetavit,
& Regi futura annuntiavit his verbis: *Et post hoc dor-
mivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ
suæ; & exaltavit vocem suam de terra in Prophetia de-
lere impietatem Gentis*: atqui hæc verba convenire non
possunt Samueli, nisi dùm apparuit Sauli, mulierem Py-
thonissam consulenti: ergo. Prob. Minor. Cui Regi nisi
Sauli, & quandò notum fecit finem vitæ suæ, nisi quan-
dò Saul audivit illud terribile oraculum: *Cras tu & filii
tui mecum eritis?* 1. Reg. 28. Quandò & quomodò exal-
tavit vocem suam de terra in Prophetia nisi quandò videt
eum mulier malefica ascendere de terra, & dixit: *Deos
vidi ascendentes de terra?* pluralem numerum ponens pro
singulari Phrasi Hebraica. Ibidèm, Tandèm impietatem Gen-
tis delendam prophetavit, quandò dixit Sauli: *Et dabit
Dominus etiàm Israël tecum in manus Philistiim.* Ibidèm.
ergo.

Hinc Augustinus, qui ea de re dubius erat in libris
ad Simplicianum l. 2. q. 4. hac auctoritate Ecclesiastici
victus in hanc nostram sententiam descendit Libro *De
cura pro mortuis*. Cap. 15. & libr. *De octo Dulcitii
quæstionibus* quæst. 6. Eam quoquè tenet S. Thomas 1,
p. q. 89. a. 8. Si auctoritas Ecclesiastici admittatur, ut re-
verà debet admitti. Et 2. 2. q. 174. a. 5. ad 4. eam ut
probabiliorem amplectitur. Præterea huic Sententiæ subs-
cribunt S. Justinus in dialogo cum Tryphone. p. 333.
Origenes comment. l. 1. Reg. c. 28. S. Ambrosius in c. 1.
S. Lucæ, Severus Sulpit. l. 1. Hist. sacræ. Itèm Bellar-
minus, Estius, Tirinus, & plures alii.

Obj. 1. Non est credibile, animam Samuelis arte ma-
gica Pythonissæ evocatam fuisse, quippè quòd illi non
sit subjecta; neque spontè advenisse, quia artem magi-
cam confirmasset: ergo. R. Animam Samuelis equidèm
non fuisse evocatam jussu Pythonissæ, sed jussu Dei in-
cantantionem mulieris maleficæ præveniente, sicque po-
tiùs artem magicam impedivisse, quàm confirmasse, patet
ex contextu *Dixitque ei* (Sauli) *mulier, quem suscitabo
tibi? qui ait Samuelem mihi suscita. Cùm autem vidis-
set mulier Samuelem, exclamavit voce magna*, &c. Ubi
vides, antequàm mulier verba, aut quidquam artis magicæ
adhibuiset, apparuisse Samuelem, & indè eam expavis-
se. Sic volent Balaam maleficiis suis a dæmone responsa
extorquere, prævenit Deus, & per os illius benedixit
Israëli. Quamquàm nec absurdum foret, quòd Pytonissa,
vel dæmon, permittente Deo, animam justi evocaverit, ut
probat S. Aug. l. 11. *De diversis quæstionibus* ad Sim-
plic. q. 4.

Obj. 2. Falsa fuit illa Prophetia: ergo non fuit veri
Samuelis. Prob. Ant. Phantasma apparens dixit Sauli: *Cras
tu & filii tui mecum eritis*; atqui falsum est, Saulem
die proximè sequenti occubisse; quæ enim Scriptura narrat
a profectione Saulis in Endor ad consulendam Pythonis-
sam ad ejus mortem, uno die peragi non potuerunt, sed
quinque ut minimùm dierum intervallum postulant. Itèm
falsum est, quòd Saul reprobus esset futurus in eodem
quietis loco cum justo Samuele: ergo. R. N. Ant. Ad
probat. R. ad 1. partem Minoris 1. adverbium *Cras* in
Scripturis non sempèr diem proximè sequentem indi-
care, sed sæpè rem imminentem, & tempus futurum, ut
probant S. Hieronymus, Theodoretus & alii. *Cras*,
inquit Hieronymus in c. 6. S. Matth. *in Scripturis fu-
turum tempus intelligitur, dicente Jacob; exaudiet me
cras justitia mea.* 2. Quæ illic narrantur, non eo ordine
quo gesta sunt narrari, sed dicta esse per anticipationem,
& mortem Saulis a Samuele prædictam die pòst ejus va-
ticinium proximo accidisse, probat Theodoretus q. 63. in
l. 1. Reg. Ad 2. partem Minoris respondeo, Tò *Mecum*
non referri ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem con-
ditionem mortis, ut ostendit Aug. l. 11. quæstionum ad
Simplic. q. 4.

Instabis: Verus Samuel non passus fuisset se adorari
a Saule, sicùt fecit istud phantasma. R. Hanc adorationem
non fuisse latriam, sed simplicem observantiam, seu re-
verentiam, quæ eo ritu apùd Hebræos viris dignitate & ex-
cellentia conspicuis exhiberi solebat.

Obj. 3. Deus denegavit Sauli responsum per Prophetas,
per oracula, per somnia, ut in eodem capite dicitur: er-
go non est credibile responsurum fuisse posteà per Py-
thonissam. R. Jàm dixi, Deum non respondisse per Py-
thonissam, sed per verum Samuelem, quem ipse præ-
veniendo incantationes mulieris suscitavit. Insupèr, Deus se
Sauli iratum ab eo recessisse ostendere voluit; quod fecit,
tàm non respondendo, quando interrogabatur, quam res-
pondendo, quandò non interrogabatur; utrumque enim est
signum iræ & abjectionis.

Tandèm si opponas Patres Tertullianum, Procopium,
Eucherium, Isidorum, & alios: ipsis vicissim opponimus
non solùm laudatos in probationibus, sed & ipsam Scrip-
turam sacram.

DISSERTATIO VIII.

DE TENTATIONE DEI.

Div. Thom. Q. 97.

HUC usquè egimus (*Q. 97. in præm.*) de vitiis Reli-
gioni oppositis per excessum: nùnc agendum de il-
lis, quæ ipsi opponuntur per defectum, & sub nomine
irreligiositatis continentur. Hæc sunt, quæ materiam Reli-
gioni subjectam aut contemnunt, aut irreverentèr tractant:
& horum quædam pertinent directè ad irreverentiam Dei,
ut tentatio Dei, & perjurium; quædam ad irreverentiam
rerum sacrarum, ut sacrilegium, & simonia.

ARTICULUS UNICUS.

*Quid, & quotuplex sit tentatio Dei?
Quale Peccatum?*

TEntare propriè est (*Hic art. 1. o.*) experimentum su-
mere verbo & facto de eo, qui tentatur, ut cum
quis examinatur in aliqua scientia, ut palàm fiat quid
sciat, vel cum alicui fit contumelia, ut videatur quid sit
facturus, vel cum alicui imponitur grave onus, ut vi-
deatur quid possit. (*Art. 2. o.*) Neque solùm dicitur *ten-
ta-*

tare, dùm id fit, ut ipse tentans sciat, sed etiàm dùm fit, ut alii sciant, quomodò dicitur Deus tentasse Abraham, Job, Tobiam, & alios Sanctos, ut mundo virtutem eorum manifestam faceret, & in exemplum poneret. Ex quo habes, (*Ibid.*) tentationem propriè dictam procedere ex ignorantia, vel dubitate, scilicèt, vel illius, qui tentat, vel aliorum: & hæc dicitur tentatio probationis. Alia est tentatio, quæ dicitur seductionis, seu inductionis in peccatum, quomodò diabolus, caro, & mundus dicuntur nos tentare: & de ea non est hìc quæstio, quia agimus de tentatione Dei; Deus autèm non est hujusmodi tentationis capax, neque passivè, ut patet, neque activè, *ipse enim neminem tentat*, ait S. Jacobus Ep. Canon. c. 1. Itaquè

Dico 1. (*Ibid.*) Tentatio Dei, de qua hìc agitur, est duplex: una propriè dicta, quæ oritur ex infidelitate, seu dubitatione de aliqua Dei perfectione; (*Art.* 3. *ad.* 2.) altera minùs propriè dicta, quæ non oritur ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, sed plerumquè ex præsumptione, seu nimia confidentia, cùm quis sine justa utilitatis aut necessitatis causa petit a Deo vel voluntatis suæ, vel alterius rei miraculosam declarationem.

Utraque Dei tentatio (*Art.* 1. *o.*) fit duobus modis, expressè & interpretativè. Expressè, cùm quis per ea, quæ facit, aut dicit, intendit expressè experimentum sumere Dei scientiæ, vel potestatis, vel voluntatis, &c. Quo sensu legimus de Israëlitis Exod. 17. *Tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, àn non?* Et Ps. 77. *Tentaverunt Dominum in cordibus suis. . . numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Interpretativè, (*Ib.*) cum quis, etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamèn dicit, aut facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei, vel potessatem, vel voluntatem, &c. Sicùt v. gr. siquis equum currere faceret, ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo facere: sed si equum currere faciat absquè aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quàm sumere experimentum de equi velocitate.

Quandò ergo (*Ibid.*) proptèr aliquam necessitatem, vel utilitatem committit se aliquis divino auxilio in petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim 2. Paral. 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quandò verò hoc agitur absque necessitate: vel utilitate, hoc est, interpretativè tentare Deum: ut si quis committens se Divino auxilio absquè necessitate, aut utilitate periculosè saltet, medicinas respuat in morbo periculoso, non paratus accedat ad prædicandum, &c.

Dico 2. (*Art.* 2. & 3. *o.*) Tentatio Dei, sive propriè, sive minùs propriè dicta, utrovis modo fiat expressè, vel interpretativè, est peccatum contrà Religionem. Probatur. Tentans Deum, vel dubitat de aliqua Dei perfectione, & indè quærit experimentum, ut certificetur; & hoc est, ut patet, contrà Dei reverentiam. Vel de Deo præsumit, & hìnc procedit, ut, posthabito causarum ordine, & contemptis, seu neglectis mediis ordinariis a Deo constitutis, ab ipso expectet miraculosè & via extraordinaria effectum, quem intendit, quod est agere liberiùs & audacius cum Deo, proindèque irreverentèr & irreligiosè.

Dices: Apostoli tentaverunt Deum, cum petiverunt ab ipso, ut in nomine Jesu Christi signa fierent. Act. 4. atqui tamèn in hoc non peccaverunt: ergo. Minor est certa. Probatur Major. Ad tentationem, secundùm D. Thomam hìc a. 2. o. & nos ibidem, non requiritur, quòd sempèr procedat ex ignorantia vel dubitatione illius, qui tentat; sed sufficit, quòd procedat ex ignorantia, vel dubitatione aliorum: sicùt cum quis experimentum sumit de aliquo, ut aliis ostendat; per quem modum inquit S. Doctor, Deus dicitur nós tentare; atqui Apostoli petiverunt a Domino in nomine Christi signa fieri, ut virtus Christi infidelibus manifestaretur: ergo. R. Hoc argumento benè probari Apostolos tentasse Deum, si tentatio præcisè sumatur pro eo, quòd est experimentum capere, ut ipse tentans vel alii cognoscant Dei virtutem; secùs autèm, si tentatio sumatur in malam partem, proùt ly *Tentatio Dei* sumi solet, pro eo scilicèt quod est experimentum capere de Deo sine utilitate, aut quod est experimentum capere de Deo sine utilitate, aut necessitate, præcisè ut ipse tentans cognoscat Dei virtutem. Undè subdit S. Doctor ibidèm, *Manifestum est, quòd tentare Deum ad hoc, ut ipse tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum. Si quis autèm ad hoc experimentum sumat eorum, quæ ad Divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, non est tentare Deum*, (sumendo nimirùm Ly *tentare Deum*, proùt sumi solet in malam partem pro peccato tentationis) *cum subsit justa necessitas, aut utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apostoli petiverunt a Domino, ut in nomine Jesu Christi fierent signa, ad hoc scilicèt quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur.*

Quandò ergo subest justa causa expectandi, vel petendi a Deo aliquem effectum miraculosum, vel extraordinarium, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem, non est tentatio Dei, quæ sit peccatum. (*Ibid. ad* 3.) Undè non peccavit Abraham Gen. 15. cum petiit signum futuræ possesionis terræ promissæ, quia id fecit ex inspiratione divina. Similitèr non peccasset Achaz Isaiæ 7. si petiviset ex mandato Dei, & ad communem totius populi consolationem. Gedeonem, qui petivit signum in vellere, culpat hìc S. Doctor pòst Gloss. licèt ipsum excuset opusc. *De sortibus* c. 5.

Dico 3. Tentatio est ex genere suo peccatum mortale, utpotè contrà Religionem: fieri tamên potest veniale, non tantùm ex imperfectione actûs, sed etiàm ex levitate materiæ. Est autèm in individuo peccatum mortale, 1. Quandò procedit ex crassa ignorantia vel dubitatione eorum, quæ quis scire tenetur, ut Dei potentiæ, misericordiæ, &c. 2. Quandò est conjuncta gravi periculo vitæ, aut enormis læsionis, ut si sine necessitate saltes in puteum: si in morbo periculoso recuses omnia remedia, expectans a Deo vel conservationem, vel sanationem miraculosam. 3. Si sine necessitate petantur miracula. 4. Si adsit scandalum. Extrà hos casus regularitèr est tantum peccatum veniale; ut si in morbo periculoso recuses remedia, quia ea putas ineficacia, & potiùs speras te a Deo servandum, non tamèn petens, aut expectans expressè miraculum. Itèm, si non paratus irreverentèr oras sperans te impetraturum a Deo, quæ comunitèr rogari & impetrari solent.

Quid sit censendum de Purgationibus, olim adhiberi solitis, per ferrum candens, per aquam ferventem, & per Monomachiam? Jam dixi suprà, pertinere ad sortem divinatoriam, & ad Dei tentationem, ideòque esse illicitas. Neque refert, quòd Deus olim videatur his purgationibus favisse per miracula, ut multis exemplis conatur ostendere Delrio l. 4. *De Magica* c. 4. Id enim factum est, si factum sit tamèn, vel ob simplicitatem illius sæculi, quàm multi, etiàm Episcopi, putarent eas in aliquibus esse licitas; vel ob simplicitatem Innocentium, qui ad has purgationes cogebantur, sicùt colligitur ex cap. *Sæpè contingit*, caus. 2. q. 4. atque testatur S. Aug. Ep. 137. ad Hipponenses. Vide Baronium ad ann. 412. num. 29. & confer petitionem primam §. quinti Articuli secundi Dissertationis præcedentis.

DISSERTATIO IX.

DE MENDACIO ET PERJURIO.

Div. Thom. Q. 98. 110.

Licèt non sit hìc propriè locûs disserendi de Mendacio, quia tamèn est sedes Perjurii, ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ dicenda sunt de Perjurio, opportunum duxi præmittere de Mendacio, & de celebri quæstione restrictionum mentalium.

ARTICULUS I.

De Mendacio.

§. I. *Quid sit Mendacium?*

Nota. (*Q.* 109. *a.* 1. *o.*) Veritas, cui opponitur Mendacium, sumitur duplicitèr: actualitèr & habitua-

li

litèr. Actualitèr sumpta est æqualitas, seu conformitas, vel intellectûs ad rem intellectam, vel vocis, seu signi ad rem significatam, seu etiàm rei ad suam primam regulam, quæ est in mente divina. Hæc dicitur veritas transcendentalis; prior veritas formalis. Veritas hujusmodi sumpta non est virtus, sed objectum & finis virtutis.

Veritas, habitualitèr sumpta, (*Ibid.*) est habitus inclinans ad dicendum verum, quandò, ubi, & quomodò oportet, & hæc est virtus. Dicitur alio nomine veracitas. (*Ibid. ad* 3.) Et licèt cognitio veritatis pertineat ad intellectum, tamèn ejus enuntiatio, seu manifestatio per verba, aut signa, est actus imperatus voluntatis; quia homo per voluntatem profert signa exteriora ad hanc manifestationem.

Undè sequitur (*Ibid.*), quòd veritas habitualis non sit virtus intellectualis, sed moralis: & quia virtus moralis consistit in medio, id duplicitèr reperitur in hac virtute: uno modo ex parte objecti, alio modo ex parte actûs. Ex parte objecti; quia verum importat æqualitatem, ut dictum est: æquale autèm est medium intèr majus & minus; undè hoc ipso quo aliquis dicit verum, tenet medium intèr eum, qui majora dicit, & intèr eum, qui minora. Ex parte autèm actûs medium tenet in quantùm verum dicit, quandò & secundùm quòd oportet. Superfluum verò convenit illi, qui importunè ea quæ sunt, manifestat. Defectus autèm competit illi, qui occultat, quod manifestare opportet. His prænotatis,

Dico 1. Mendacium est sermo prolatus cum intentione dicendi falsum. (*Q.* 110. *a.* 1. *o.*) Expplicatur. (*Ibid.*) Actus moralis ex duobus speciem sortitur, scilicèt ex objecto & ex fine. Nàm finis est objectum voluntatis, voluntas autèm est primum movens in moralibus actibus: & potentia mota a voluntate habet pro objecto ipsum objectum voluntarii actûs, quod se habet in actu voluntatis ad finem, sicùt materiale ad formale. Dictum est modò (*Ibid.*), quòd virtus veritatis consistat in manifestatione, quæ fit per aliqua signa, sic etiàm per consequens mendacium ipsi oppositum. Et cùm hujusmodi manifestatio sit actus moralis, oportet quòd sit voluntarius & ex intentione voluntatis dependens. Porrò objectum manifestationis est verum, vel falsum. Intentio verò voluntatis inordinatæ in mendacio ad duo potest referri; quorum unum est ut falsum enuntietur; alterum est effectus proprius falsæ enuntiationis, ut scilicèt aliquis fallatur. Si ergo ista tria concurrant, scilicèt quòd falsum sit id, quod enuntiatur, & quòd adsit voluntas falsum enuntiandi, & iterùm intentio fallendi, tùnc habetur mendacium ex omni parte completum; habetur enim falsitas materialitèr, quia falsum dicitur & formalitèr proptèr voluntatem dicendi falsum, & effectivè proptèr voluntatem falsum imprimendi.

Sed tamèn (*Ibid.*) ratio essentialis mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc scilicèt quòd aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi. Undè & mendacium nominatur ex eo, quod contrà mentem dicitur. Et ideò si quis falsum enuntiet, credens, id esse verum, est quidèm falsitas materialitèr, sed non formalitèr; quia falsitas est prætèr intentionem dicentis; undè non habet perfectam rationem mendacii: si verò aliquis formalitèr falsum dicat, habens nempè voluntatem falsum dicendi, licèt sit verum id, quod dicitur, in quantum hujusmodi actus est voluntarius & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem: undè ad speciem mendacii pertingit. (*Ibid.*) Quod autèm aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius: sicùt & in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur, si formam habeat, etsi desit formæ effectus, ut patet in gravi, quod violentêr sursùm detinetur, ne descendat secundùm exigentiam suæ formæ.

Ex quibus sequitur, rectè a nobis traditam esse definitionem mendacii, & malè a quibusdam defendi intentionem fallendi esse essentialem mendacio; licèt enim qui mentitur, regularitèr intendat alterum fallere, & mendacium ex natura sit fallax, hæc tamèn intentio non es necessaria ad rationem essentialem mendacii, ut constat ex dictis: & patet in eo, qui præsente Judice crimen commisit, & tamèn, ne convincatur, ei perstrictè negat se illud commisisse; mentitur indubiè, & tamèn non habet intentionem fallendi Judicem.

Huic D. Thomæ sententiæ suffragatur S. Aug. quidquid dicant Henno, Layman, & alii. Is enim libr. *De Mendacio* cap. 4. *Nemo dubitat mentiri eum, qui volens falsum enuntiat causa fallendi... sed utrum hoc solùm sit mendacium, alia quæstio est.* Hanc porro quæstionem esse negativè resolvendam, ex ipsomet Aug. constat, quia in Ench. c. 18. dicit, quòd *promere lingua aliud, quàm sit in pectore clausum, sit malum proprium mentientis.* Et in Ps. 5. dicit, Mendacium jocosum esse mendacium, sed non perniciosum, *quia non fallit.* Refertur locus integer infrà. Undè, quandò dicit S. Augustinus libr. *contrà Mendacium* c. 16. quòd *Mendacium sit falsa significatio cum intentione fallendi*, & Ench. c. 22. quòd omnis, qui mentitur contrà id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi, & similia; non loquitur de omni mendacio, sed de eo solùm, quod extrà dubium est habere naturam mendacii, & quod habet perfectionem mendacii. Hoc etiàm sensu intelligendus est S. Thomas, cùm quodlib. 6. q. 9. dicit, quòd *peccatum mendacii principalitèr consistit in intentione fallendi*, vel dicendum, eum retractasse hìc, quod junior dixit.

Dixi in conclusione: *Sermo prolatus*, per quod mendacium distinguitur a simulatione & hypocrisi, quæ consistunt in factis, mendacium autèm in verbis, scriptis, aut signis illis, quibus dicimur loqui. Sed hæc distinctio est valdè levis & superficialis: (*Q.* 111. *a.* 1. *o.*) qui enim rebus, aut factis aliquid simulat esse verum, quod scit esse falsum, etiàm rectè dicitur mentiri; omnisque simulatio propriè dicta est verum mendacium; undè fit, quòd aliquis dicatur mentiri sexum, sanctitatem, &c.

Itaquè, si sumatur mendacium in tota sua latitudine, proùt comprehendit etiàm simulationem propriè dictam & hypocrisim, est *omnis significatio falsa ex mente significantis*, sive fiat verbis, sive factis. Simulatio autèm propriè dicta (*Ibid. o.* & *ad* 3.) quatenùs est mendacium, est fictio, qua quis per exteriora signa factorum, vel rerum significat contrarium ejus, quod in eo est, ut si tristis est, simulet se lætum; si iratus, placatum.

Ubi adverte, quòd, licèt omnis simulatio sit fictio, non tamèn omnis fictio sit simulatio propriè dicta, quæ est mendacium. (*Ibid. ad* 1.) Et 1. cùm fictio, inquit Aug. l. 2. *de Quæst. Evang.* c. 51. refertur ad aliquam veram significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, ut patet de figuratis locutionibus, in quibus fingitur quædam res, non ut asseratur ità esse, sed eam proponimus in figuram alterius, quod asserere volumus; licèt indè aliquis decipiatur, deceptione ejus ex causa permissa, non intenta. Sic Dominus in Evangelio finxit se longius ire, quia composuit motum suum quasi volentis longiùs ire, ad aliud figuratè significandum, scilicèt quòd ipse ab eorum fide longè erat, ut dicit Greg. hom. 23. in Evang. (*Ibid. ad* 3.) Itèm fictio non est simulatio propriè dicta, nec mendacium, quandò est tantùm celatio, seu dissimulatio veritatis, quam aperire non expedit, etiamsi indè, ut dixi de priori fictione, prævideatur aliquis decipiendus, deceptione ejus ex causa permissa, non intenta. Sicùt enim aliquis non mentitur, quandò tacet quod est, sed quandò verbis significat quod non est, ità non est simulatio propriè dicta quandò aliquis prætermittit significare factis quod est, sed iis significat quod non est. Undè potest aliquis peccatum suum occultare sine simulatione utendo dissimulatione. Hæc enim, quod benè nota, contraria sunt: Simulamus falsa, dissimulamus vera; simulamus esse, quæ non sunt, dissimulamus non esse, quæ sunt.

Hypocrisis (*Ib. art.* 2. *o.*) verò est simulatio personæ alterius, undè dicuntur hypocritæ, qui in Theatris agunt personas aliorum: at verò in novo Testamento hypocrisis sumitur pro simulatione sanctitatis, quam quis non habet. Undè omnis hypocrisis est simulatio, non e contrà.

§. II. *Quotuplex sit Mendacium?*

Dico. (*Q.* 110. *a.* 2. *o.*) Mendacium triplicitèr dividi potest; 1. Secundùm ipsam mendacii rationem, quæ est propria & per se mendacii divisio. Et secundùm hoc mendacium dividitur in hoc, quod transcendit veritatem in majus, quod pertinet ad jactantiam; & in hoc, quod deficit a veritate in minus, quod pertinet ad ironiam. Hæc autèm divisio ideò est per se ipsius mendacii, quia mendacium in quantum hujusmodi opponitur veritati, ut dictum est: veritas autèm est quædam æqualitas, cui per se opponitur majus & minus. (*Q.* 212. *a.* 1. *o.*) Igitùr jactantia est, quandò aliquis effert se suprà id, quod in ipso est: undè opponitur veritati per modum excessûs. (*Q.* 113. *a.* 1. *o.*) Ironia non sumitur hìc pro locutione figurata, qua irrisoriè aliquid per contrarium dicitur, sed pro aliqua specie mendacii, & est, quandò aliquis asserit de se aliquid vile, quod in se non agnoscit; aut quandò ne-

gat